

Hoc denique praetore exercente iudicium.

Non vacat, quod mentionem facit praetoris ipsius, id est fratris sui Q. Ciceronis, qui iudicio praeerat. Opportunissimum quippe ait de laudibus poëtae boni aput eum dicere, qui studiis huiusmodi delectetur. Fuit enim Q. Tullius non solum epici, verum etiam tragici carminis scribtor.

§ 5. Itaque hunc et Tarentini et Regini et Neapolitani civitate ceterisque praemiis donarunt.

Utiliter praeparavit ad causam iam pridem hunc Archiam poëticae facultatis gratia celebrem a plurimis Italiae nobilissimis populis in numerum civium cooptatum. Quod nimirum argumento esse debeat etiam Heracliensibus nuper adscriptum, robustiorem iam fama et ingenii dignitate maiore. Fuerunt autem urbes istae, de quibus loquitur, quibusdam Graecis tribubus conditae.

Quorum alter res ad scribendum maximas, alter cum res gestas, tum etiam studium atque auris adhibere posset.

C. Marium Iugurthinum, qui ad consulatum septimum proventus est, non ignoramus in doctrinae studiis alienum et sola rei militaris scientia floruisse, Quintum vero Catulum non mediocriter litteris liberalibus informatum. Sed eleganter utrique Archiam placere potuisse in hac parte narrationis ostendit, quia praebuit Marius eas res,